

QK.243. CARMINA NVPTIALIA

Scripta ab amicis & discipulis,

In honorem nuptiarum

VIRI DOCTIS-
SIMI ATQVE ORNATIS-
SIMI Dn. M. ABRAHAMI
GISPACHL, Scholæ Senato-

riæ Lip. ad D. Nicolai

Collegæ:

ET

VIRGINIS PVDICISSI-
MÆ SABINÆ VIRI BONI

atq; honesti, Augustini Deubneri,

Ciuis Lipsensis, relictae filiae, celebrata-

rum V I I. M. Febru. Anno

Christi

M. D. LXXVII.



LIPSIÆ,

Georgius Defnerus imprimebat.

Z6
3394

X 1998026





XVII
LIII

A B R A H A M O G I S P A C H O
V I R O D O C T I S S I M O , E T
S A B I N Æ D E V B E N E R Æ
N O V I S S P O N S I S .

Ingenij propter dotes & amabile donum
Doctrinæ, morum conspicuumq; decus:
GISPACHO quæuis spondebant optima Musæ,
Promissumq; ratum iusserat esse Deus.
En Musæ meruere fidem, quæ maxima terris
Exoptare animo gaudia posset, habet.
Nil opus est quæ sint ea gaudia quærere, castum
Illius ingreditur Sponsa venusta torum.
Prosperitatis apex hic est, sortisq; benignæ,
Hoc cui contigit, huic contigit omne bonum.
Nos hoc ergo bonum cur non gratemur amico,
Dicamus fausto verbaq; fausta die?
Ceu felix in amore fuit GISPACHVS amator,
Flumine vbi explicuit vela secundo rati.
Sic vitæ cursu fortunam sentiat æquam,
Illius & votis prospera cuncta fluant.
Sit soboles illi, sit honorum & copia rerum,
Quæ longos senij duret ad vsq; dies.

M Iohan. Albinus.

Γ Α Μ Η Λ Η Ο Ν .

Vita quid hæc, ignoramus si viuere quid sit?
Viuius ingenio, & prole tuente domum,
Serta virent folijs haud vlla sorte caducis,
Diuite quæ cornu fert Heliconis ager.

A 2

Lau-

Laurea num vatis Peligni arescere capit?
Num tua non florem busta tulere Maro?
Rugis deformem & lacerum quem reddidit ætas,
Mœonides, iuuenis prodiit ore tener.
Nec minus & nostrum seros perdurat in annos
Nomen, & haud nouit posteritate mori.
Florida natorum virtus est vita parentum:
Semper vterq; pari sorte superstes erit.
Nonne ideò Priamus plures deduxit in ædes
Nuptas, prole domus quò benè fulta foret?
Nonne datur regi Ismario Polydorus in aulam?
Si sceptrum, vt stirps sit regia salua, ruant?
Sic tu qui illorum vestigia recta secutus,
Docte vir, his meritò connumerandus eris.
Qui prius à Musis Clarios deductus in hortos
Hauisti cupido guttere fontis aquam.
Olim qua maduit Pelignus lusor amorum,
Et patulo veteres ore bibere Sophi.
Nunc sociam quæris, qua deinceps tempora vitæ
Lætus agas, quæ te prole frequente beet.
Antè quod in vita decrat tibi perficit illa,
Illa tibi tristi gaudia multa dabit.
Scilicet ipsa suo suauis quod nomine signat,
In rebus posthac experire tuis.
Turtur erit, viues suauis cum turture turtur,
Qui nescit casti fallere iura tori.
Nam quem non caperet, cuius Venus abluuit ambas
Palmas, tot Charites dona tulere, sinu.
Ergo datam fatis agnosce marite maritam:
Solùm autor thalami creditur esse DEVS.

Quod:

Quod superest , precor , vt castæ pars altera vitæ,
Quàm prior , haud cedat , sorte minore , minor.

*M. Ioachimus Tanckius
Perlebergensis.*

EYXH ΓΑΜΙΚΗ.

PRima maritalis qui sanxit foedera lecti,
Instituitq; sacri iura pudica tori,
Quiq; fuit tædæ dignatus adesse iugali,
Vertens ex aqueo dulce liquore merum.
Vnde illum vero celebrauit Cana timore,
Estq; statim summum voce professa **DEVM:**
Is quoq; præsentis coniungat numine dextras,
Dum socialis amor pectora bina tenet.
Tu simul accumbas mensis conuiuia paratis,
Coniugij sponfor Christe benigne noui.
Sponsus enim doctus , nec non te Sponsa modesta
Iamdudum votis concupiere suis.
Sic erit Aonidum studijs excolte Magister,
Vt fugiant thalamos tristitia quæq; tuos.
Sic erit vt pulchra faciat te prole parentem,
Quæq; colat summum , Sponsa **SABINA!** Deum.
Hinc precor eueniant feliciter omnia tædis,
Nec turbet querulus gaudia vestra dolor.
Lite domus careat, procul absit bellica Pallas,
Vos modò delectet connubialis amor.
Sic vobis aderit coeli terræq; Monarcha,
Connubijq; autor commoda mille feret.

A 3

Is



Is tribuet uobis longæuæ secula vitæ,
In vinum liquidas is variabit aquas.
Is procul arcebit tectas, quas improbus hostis,
Insidias variè nocte dieq; struit.
Musa quiesce, toro satis est hæc vota dedisse,
Sponse boni quæso consuluisse stude.

M. Georgius Cremerus Lip.

Votum Nuptiale.

Qui sequitur summi mandata verenda Tonantis,
Atq; subit socij fœdera sancta tori:
Ille beatus agit felicis tempora vitæ,
Ac sociam vitæ tempus in omne gerit.
Si captas etenim resoluta gaudia mente,
Perpetuò tecum gaudia lata capit.
Sin contrâ fortis te vexent tela malignæ,
Certa solet coniux tristibus esse comes.
Illa fidem seruat, castum seruatq; cubile,
Atq; pudicitia nil putat esse prius.
Illa suo varias voluit sub pectore curas,
Dirigit & magna sedulitate domum.
Illa Dei veræ pietatis imagine prolem,
Moribus & castis imbuit vsq; suam.
Gaudet in officio: nullos horretq; labores,
Quæq; facit magno rite labore facit.
Felix o nimium felix, cui fata maritum
Moribus assignant & pietate grauem.
Faustus es & felix igitur **GISPACHE** Magister,
Namq; tibi Sponso Sponsa pudica datur.

Hac

Hac igitur gaude : grates perfolue Parenti,
Sub pedibus cuius sidera clara micant.
Has vobis tædas nunc prosequor omine fausto,
Lætus & ex toto pectore plaudo tibi.
Ipse tibi Christus felices afflet amores,
Dirigat & classis carbasa plena tuæ.
Exulet à thalamo contentio, iurgia, lites,
Et colat assidue paxq; fidesq; domum.
Pignora circumstent mensam florentia, pinguis
Ut late florens crescit oliua solo.
Et tandem Pylij traducas Nestoris annos,
Ac subeas partæ dulce salutis iter.
Hæc & plura precor, quæ non iam dicere possum,
Et precor ut D E V S his pondus inesse sinat.

Gabriel Güttenerus Lips.

A L I V D.

Non casu venit illa viro, virtutibus aucta
Quæ venit, ast Dominum qui timet, illa venit.
Nil aurum Cræsi, si quæ vel regna Luculli
Affert, vel fundit quas Tagus amnis, opes.
Aurea si virtus, quæ dos pulcerrima, friget,
Si non virtutis prædita laude venit.
Nam bona fortunæ celeri labuntur ut vnda
Cursu, sed virtus non peritura manet.
Vel modò diuitias flagrantibus ignibus omnes
Perdimus, haud illam Mulciber igne rapit.
Vel modò cum largi funduntur ab æthere nimbi
Labuntur, non hæc mergitur Oceano.

A 5

Hic

Hic nisi diuitijs famam coniunxeris almæ
Virtutis, paruo tempore nullus eris.
Quem penes est virtus, penes hunc sunt omnia, virtus
Nescit, dum pereunt cætera, sola mori.
Hæc igitur pollens quæ iam virtute, Magister
Docte, venit, casu non tibi Sponsa venit.
Sed velut Eua suo fuit Adæ iuncta marito
A Domino, primus qui Paranympus erat:
Vxor & à Domino sic associatur ab ipso
Hæc, cum virtutis diuite dote tibi.
Omnibus in membris virtutis imago relucet,
Si capitis frons, vel planta canenda pedis.
Cuius & in tenero coniunctio corpore cernis,
Quàm sit membrorum pulcra, venusta, grauis.
Quàm sit compositis & honestis moribus illa
Prædita, quàm locuples sit pietate, vides.
Hæc adamata tibi venit vxor, docte Magister,
Hanc ceu præclarum manus habeto DEI.
Et quòd de tali Sponso tibi Sponsa SABINA
Grateris, donis qui venit auctus, habes.
Hunc tibi Musarum iungunt decreta maritum,
Thespiadum voluit castra quod ipse sequi.
Huius connubij celebrant nunc festa Camœnæ,
Ac ornat thalamos huius; & alma Themis.
Totus & Aonidum chorus hunc deducit ad aras,
Et sua Calliope pleetra sonora mouet,
Doctas & reliquas binde de monte Sorores
Ordine gestantes munera cerno sequi:
Quæ bene de Musis à prima ætate merenti
Offerri Sponso iussit Apollo nouo.

Sic

Sic Heliconiades vestro lætantur amore,
Quo vos coniungi nunc voluere, pio.
Omnia sed cum sint hæc te sine, fabula, Christe,
Ad te pro tædis dirigo vota nouis.
Tu dignare tuo conuiuia rogatus eorum
Mensas accubitu, qui coiere modò.
Inq; merum conuerte Chium, quod Dorica tellus
Fundit, aquam, mixtus sit quoq; melle cibus.
Et Thesæa fides vinum, pax candida panem
Apponat, fidus sitq; minister amor.
Sitq; ferax vitis vobis, & campus aristas
Floreat, atq; nouo palmite plena domus.
Sic Pylij, cunctis rebus quæ plena secundis,
Ambo viuatis secula longa senis.
Hæc precor: at tu qui sanxisti foedera casti
Connubij, votis annue, Christe, meis.

Distichon, quo dies, mensis & annus nuptia-
rum comprehenduntur.

In terris septem hīs LVstrârat AqVarIVs ortVs,
QVanDo tVos Intrat sponfaSABINA toros.

Ioannes Perca Teuschnicensis.

A L I V D.

Dulcius in toto nil est & pulcrius orbe,
Vna quàm placide viuere carne duos.
Respatet exemplis nunc his, qui foedera lecti
Conscendunt casti prospiciente Deo.
In quos non Paphius iecit sua tela pharetræ,
Sed quos sincero iunxit amore Deus.
Læserat haud pulcræ Gnydius sic Salmacis ossa,
Flagrat vt in Sponsum Sponfa pudica suum.

Gratior:

Gratior & multum Sponso tua Sponsa, corusco
 Io quàm fuerat candida grata Ioui.
Legitimis vrant etenim duo pectora flammis,
 Ipse Deus quarum fautor & autor adest.
Dum placeant ipsi quoq; foedera casta iugalis,
 Seruariq; pio pignus amore cupit.
Odit & hunc, grauitèr polluto pectore vitam
 Qui spurcam, flammis illicitasq; colit.
Casta Deus mens est & casti causa pudoris,
 Ille fidem thalami, quæ sine labe, probat.
Estq; Dei magnum donum, si Sponsa modesta
 Cui datur & talis sponsa beatus erit.
Ergo beatus eris Gispachi docte: Sabina
 Illa tui postquam pars datur esse tori.
Egregijs est quæ morum virtutibus aucta,
 Cuius & est pietas mitis in ore Dei.
Ut rosa purpurei, quæ spargit floris odorem,
 Splendet, vt aut tinctum sanguine fulget ebur.
Haud secus in Sponsa formæ præstantia lucet,
 Pinxisset Cœus non ita pictor eam.
Hincq; videre potes, quòd sit diuinitus illa
 Iuncta tibi, quæ te fallere norma nequit.
Assiduis dominum celebrabas optime votis
 Sponse, preces quas nunc maluit esse ratas.
Iulcius est etenim quid quàm pia vota Tonanti?
 Et quid ei votis gratius esse potest?
Digna dedit merito quare tibi præmia Sponsa,
 In lectum talis dum datur ire tuum.
Quin igitur tali Sponsa lætaris, & eius
 Lacteolis libas oscula blanda genis.

Quin

Quin quoq; Sponsa viro docto sociata vicissim
Basiolis reddes suauia dicta tuis:
Cuius sparsa fides has est Thesæa per oras,
Hic vbi Lipsiacos cingit Elister agros.
Hic etenim pueros studijs formauit honestis,
Et pura summi relligione Dei.
Eius & in cunctos discentes cura fidelis
Astrigeræ tangit nobile molis opus.
Felices igitur concordî viuite lecto,
Vos siquidem castus consociauit amor.
Vnanimes longæ numeretis secula vitæ,
Et vestrum turbet nulla procella thorum.
Sit procul à vobis Nemesis, ceu Portia Brutum
Dilexit, sic tu dilige Sponsa virum.
Atq; Promethides ceu Pyrrham iustus amabat,
Sic vero Sponsam vulnere cordis ama.
Deniq; quot buxi crescunt in monte Cytoro,
Axe quot & fulgent sidera clara poli
Et quot habent Arabes redolentia cinnama campi,
Tot vobis etiam prospera fata precor.


Valentinus Streitius Lip.

76 3394

OK

m C.





B.I.G.

Farbkarte #13

QK.243. CARMINA NVPTIALIA
Scripta ab amicis & discipulis,
In honorem nuptiarum

Z6
3394

X 1998026

VIRI DOCTIS-
SIMI ATQVE ORNATIS-
SIMI Dn. M. ABRAHAMI
GISPACHI, Scholæ Senato-
riæ Lip. ad D. Nicolai
Collegæ:
ET

VIRGINIS PVDICISSI-
MÆ SABINÆ VIRI BONI
atq; honesti, Augustini Deubneri,
Cuius Lipsensis, relictæ filiæ, celebrata-
rum V I I. M. Febru. Anno
Christi

M. D. LXXVII.



L I P S I Æ,

Georgius Defnerus imprimebat.